



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 153. Quid dicendum sit de resignatione facta ex metu, dolo, vi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

cur pro validitate actus, usquedum probetur tem-
pus antecedentis revocationis, *Rota, Paris. Leur.*

q. 699.

§. XII. Revocans mandatum tenetur compen- 1043
sare damna procuratori ratione mandati vel inchoa-
te resignationis causata, *Bald. Rebuff. Tond. Leur.*

q. 700.

§. XIII. Si resignatio plena totius beneficii sit 1044
sortita effectum & dimissa possessio, cessat officium
procuratoris constituti ad causas illius beneficii, arg.
Clement. ult. de procurat., beneficiatus enim est tum
civiliter mortuus illi beneficio, *Rota, Mand. Sarn.*
Paris. Leur. q. 245.

Q. 153. Quid dicendum sit de resignatione fa- 1045
cta ex metu, dolo, vi. *R.* Supponenda sunt & hic
applicanda dicta l. 3. p. 2. à n. 608., ubi explicavimus,
quomodo consensus in contractum debeat esse liber
à vi, metu, dolo: adde tamen seqq.

§. I. Ad valorem resignationis requiritur con-
sensus spontaneus, liber à metu, dolo, vi, *Cap. Ad*
audientiam, *Cap. Abbas*, *Cap. Ad aures*, De iis,
quæ vi metusve causâ fiunt, *Cap. Accepta*, de Re-
stit. spoliat., & AA. omnes cum *Leur. p. 3. q. 701.*

§. II. Resignatio facta ex metu non valet, licet 1046
firmetur juramento, à quo tamen absolvi quis de-
bet, antequam beneficium repetat; nec plus vult.
Cap. Ad aures, supra, *Nav. Paris. Az. Garc Lu-*
ca, Leur. q. 702. Non est tamen ipso jure nulla,
sed venit irritanda, *Garc. Leur. q. 703.* contra *Hofst.*
Vital. Butr. & alios. Excipiunt *Paris. Az. Castrop.*,
si vi incarcerationis per laicum extorqueatur, tum
enim est ipso jure nulla per *Clement. l. 5. t. 8. c. 2.*
Hic autem per metum intelligitur gravis, cadens in
constantem virum, de quo videri potest etiam *Leur.*
q. 704. Et cum metus sit aliquid facti nec præsuma-
tur,

tur, debet per testes vel litteras vel alia indicia probari ab illo, qui dicit illum sibi esse factum, *Bald. Mascard. Alciar. Paris. Az. Leur. q. 705.*

1047 §. III. Quamvis protestatio de metu, qui incurritur, dum quis resignat, non sit necessaria ad hoc, ut postea possit excipere de metu, tamen multum juvat probationem metus, *Dec. Cravet. Bursat. Paris. Leur. q. 706.* Nec illi probationi obest, quod in litteris resignationis dicatur consensisse sponte & liberè, ad hoc enim inferendum potuit coegisse idem metus, *Paris. Leur. q. 708.* Si tamen ille, qui ex metu resignavit, post sublatam totam causam metus taceat, aut faciat aliquid, ex quo argui possit nunc liberè consentire, metus purgatur, uti in aliis etiam exemplis ostendunt *Mascard. & Leur. q. 707.*

1048 §. IV. Resignatio facta per dolum est nulla, quia non est deterior ingressus, quam dolus, LL. ff. de doli excep., *Paris. Az. Leur. q. 709.* Estque ipso iure nulla, quia dolus tollit consensum & libertatem, quam metus tantum diminuit, *Abb. Paris. Castrop. Leur. q. 710.* Probari autem debet dolus conjecturis & præsumptionibus, de quibus vide *Mascard. de probat. conclus. 815.*, quarum præcipuas recenset *Leur. q. 711.*

1049 §. V. Resignatio vi extorta est annullanda, quia vis æquiparatur metui; & illi, cui vis facta est, competit actio spoli, *Butr. Paris. Az. Leur. q. 712.* Spoliatus autem volens restitui, tenetur probare duo, 1. Se possedisse, dum spoliaretur: 2. Tunc habuisse jus saltem coloratum, *Inn. Paris. Az. Castrop. Vide Leur. q. 715.* Et ad vim reducuntur vexationes illatae ab Episcopo, *Gemin. Præpos. Az. apud Leur. q. 713.*; Similiter resignatio facta ab aliquo, postquam beneficio spoliatus erat, censetur ex vi facta, *Cap. sollicitè, de Restit. spoliat.*; quod tenent aliqui cum *Paris.*

Paris., quamvis adjectum sit iuramentum. Vide *Leur.* q. 714. Excipe, nisi facta esset coram Iudice competente, quia auctoritas Iudicis de causa cognoscens excludit suspicionem violentiæ, *Abb Bartol.* *Paris.* *Az.* *Castrop.* *Leur.* q. 716. Si autem certò confiteretur resignationem factam esse sine vi, rescindi non potest, quia apparente veritate libertatis cessat præsumptio violentiæ. *Dixi*, certò, nam si maneat dubium, manet præsumptio, *Paris.* *Az.* *Leur.* q. 717.

§. VI. Si ante spoliū sponte constitutus erat procurator ad resignandum, resignatio facta post spoliū censetur spontanea, nec rescindi potest, *Abb.* *Paris.* *Menoch.* *Castrop.* *Leur.* q. 718. Idem est, si resignatio facta sit diu, v. g. anno post spoliū, de quo nihil questus sit resignans, *Butr.* *Menoch.* *Az.* *Castrop.*; sed limitat *Paris.*, nisi facta esset in favorem spoliantis, quia tunc præsumeretur durasse eandem vis. Vide *Leur.* q. 719. Quòd si spoliatus resignet cum pacto non agendi, aut cum iuramento coram Notario attestante abesse vim, promittat se non acturum actione spoliū, jam cessit iuri suo in favorem spoliantis, uti etiam potest quis cedere actione furti in favorem furis, *L. si unus, §. pacta*, ff. de pactis: hoc ipso autem, quòd fiat coram Notario, excluditur suspicio continuatæ violentiæ, hinc talis spoliatus non poterit repetere beneficium, *Abb.* *Menoch.* *Rebuff.* *Paris.* *Az.* Vide *Leur.* q. 720. Similiter si post spoliū resignaverit in favorem tertii, à quo spoliatus non fuit, eique cesserit actionem spoliū, repetere non potest beneficium, *Paris.* Vide *Leur.* q. 721. Denique si sciatur spoliatum sponte resignasse post spoliū, quia, v. g. dimisit titulum ac possessionem, resignatio valet, spoliator tamen manet puniendus quia initio vim fecit, debetque compensare expensas & damna ratione spoliū facta, *Bellam.* *Menoch.* *Paris.* & alii cum *Leur.* q. 722.

Q. 154.

1050